Werk

Titel: Hymnologische Beiträge

Autor: Werner, J.

Ort: Erlangen

Jahr: 1891

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?345572629_0004|log64

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

info@digizeitschriften.de

Hymnologische Beiträge.

Gesammelt von

J. Werner.

Die von Wackernagel in der Vorrede zu seinem Werke „das deutsche Kirchenlied“ aufgestellte Forderung, dass die Kirchen- und Klosterbibliotheken aller Länder zu durchsuchen seien, um in der Hymnologie zu sicheren Ergebnissen zu gelangen, ist in unserer Zeit teilweise zur Tatsache geworden. Seitdem Mone seine aus mehr als 50 Bibliotheken gesammelten Hymnen veröffentlichte, sind eine Anzahl von Bibliotheken systematisch durchforscht worden, und der Gewinn dieser Arbeit — eine bedeutende Menge bisher unbekannter kirchlicher Dichtungen — giebt Kunde von der reichen dichterischen Tätigkeit des Mittelalters.

Die schweizerischen Bibliotheken sind verhältnissmässig früh ausgenutzt worden: schon Daniel und Mone schöpften reichlich daraus und Morel hat eingehend die Handschriften von Einsideln, St. Gallen, Engelberg und Rheinau studirt. Daher können in diesen Bibliotheken nicht so bedeutende Funde gemacht werden, wie solche besonders Dreves auf seinen Entdeckungsreisen zu Teil geworden sind. Es ist eine spärliche Nachlese übrig geblieben, die nur einzelne neue Stücke ergab, und zwar hauptsächlich aus den bisher weniger beachteten Bibliotheken der beiden seit bald 50 Jahren aufgehobenen aargauischen Klöster Muri und Wettingen.

Die Einzelforschung hat bis jetzt in Bezug auf die Verarbeitung des hymnologischen Materials noch wenig Nennenswertes hervorgebracht; so sind wir z. B. in Betreff des Wesens und des Baues der notkerischen Sequenzen noch nicht weit über die Darstellung hinausgekommen, welche Wolf (über die Lais, Sequenzen und Leiche) auf Grundlage der Forschungen von A. J. Schmid gegeben hat. Solche Untersuchungen sind deshalb schwierig, weil die Hülfsmittel wohl zahlreich, aber eben darum um so schwerer erreichbar sind. Und solange das Material noch in den Bibliotheken zerstreut ist, kann eine erschöpfende Dar-

stellung dieses wichtigen Zweiges der mittelalterlichen Poesie nicht möglich sein. Sowohl rücksichtlich der Hymnen als auch der Sequenzen harren eine nicht unbeträchtliche Zahl von Fragen der Lösung. Besonders ist die Zeitbestimmung von einzelnen hymnologischen Neuerungen schwer zu geben, um so mehr als gerade die italienischen Bibliotheken, aus denen doch wohl in erster Linie Aufschluss zu holen wäre, in dieser Richtung fast gar nicht durchforscht sind.

Sogar die Textgestaltung der meisten dieser Dichtungen liegt noch im Argen; nicht bloss fehlt es an genügenden Nachweisungen über die Veränderungen, denen besonders die Hymnen in einzelnen Brevieren (z. B. der Cistercienser) ausgesetzt waren, sondern noch nicht einmal die Form der gebräuchlichsten Hymnen ist auf Grundlage sorgfältiger Vergleichung der ältesten Zeugnisse für dieselben festgestellt. Die Verbreitung ganzer Sammlungen von Hymnen oder Sequenzen, sowie die Wanderungen und Wandlungen derselben, sind noch zu wenig erforscht; die Anordnung der einzelnen Hymnare ist noch fast unbekannt.

Es können nun allerdings diese vielen und verschiedenartigen Fragen nur mit vereinten Kräften gelöst werden, indem jeder einzelne, soviel an ihm ist, aus seinem Kreise beibringt, was ihm erreichbar ist. In diesem Sinne sind auch die folgenden Beiträge aufzunehmen.

Was an hymnologischem Material in Zürich (Stadtbibliothek und Kantonalbibliothek) und Aarau (Kantonsbibliothek) vorhanden ist, wurde durchsucht und das Bemerkenswerte zusammengetragen. Eine nähere Beschreibung der Hss. ist überflüssig, da nur einzelne Stücke aus denselben ausgehoben worden sind, und jene bei einer andern Gelegenheit gegeben werden kann.

Bei weitem nicht alle Stücke, die hier geboten werden, waren bisher unbekannt; aber entweder war der bisherige Text ungenügend oder die Anordnung im einzelnen unrichtig, so dass ein erneuter Abdruck auf Grund neuer Quellen wohl gerechtfertigt scheint.

A. Hymnen.

I. In dedicatione.

I.

Hoc honoris tui templum
cum decoris gloria
tibi, Christe, praeparatum
de supernis uisita!

II.

Te precamur hic adesse,
conditor sanctissime
atque consecrator, ipse
hic adesto iugiter.

III.

Haec est tibi consecrata
micans aula, similis
Jerusalem, quae est nostrum
celsa mater omnium.

IV.

Cuius multae mansiones
insunt amplis moenibus
namque suis quisque sedem
sumit * * * * *

V.

Mater ibi tua, Jesu!
turmas ducens uirginum
locum tenet intra laetae
muros urbis optimum.

VI.

Illic et apostolorum
sacer adest numerus,
urbis celsae qui credenti
portas plebi reserant.

VII.

Carmen Christo triumphale
chorus cantat martyrum,
quanto plura passus istic,
illic tanto laetior.

VIII.

Rectos corde cunctos unum
replet ibi gaudium,
qui distincta pro distinctis
sumunt dona meritis.

IX.

Exultantes manifestam
dei cernunt * * *
dant aequalem coaeternae
trinitati gloriam.

X.

Gloriosa deo patri
dilectoque filio
laus et honor et potestas
atque sancto spiritu. Amen.

Chorbuch in Zürich (C 63/690) saec. XIII fol. 174v. 5 Te deprecamur Hs. — Christus Hs. — 34 fehlt vielleicht regiam.

II. De conceptione b. v. Mariae. ad laudes.

I.

Alma dei porta
Dauid de germine orta
hodie concepta,
audi nostra uota:
pro nobis ora,
uirgo Maria!

II.

Nos te ueneramur
et cuncti precamur,
ut tuis precibus
Christo iungamur,
a quo ab hostibus
protegamur.

III.

Uires reprime hostis
antiqui serpentis,
ne inducat fraudes
mille per artes
et nos a regia
trahat patria.

IV.

Te precamur, domina!
ut nostra tempora
fiant pacata
prece tua,
ut tibi cantica
soluamus laeta.

V.

Ut tua conceptio
veniam populo
det, qui te uotis
colit in mundo
gaudens de festo
hodierno.

VI.

O mundi domina
piaque maris stella!
cum tuo filio
pio ab alto
semper exaudi nos
sancta theotocos.

VII.

Laus sit deo patri,
ac nato compari
sanctoque flamini,
laudemus cuncti
quem ore et corde
tempore saecli. Amen.

Brevier aus Rheinau in Zürich (Num. CLV) saec. XV, p. 748: Laudes. — Morel (n. 121) benutzte ein gedrucktes Konstanzer brevier. — 36 theocos Hs. — 38 ac nato cum patri Hs.

III. De s. Johanne euangelista.

I.

Gaude caelestis curia,
tanta lucerna inclita
et tu mater ecclesia,
Johannis promens gloriam.

II.

Qui spernens mundi gaudia
sequens Christi uestigia
euangelista maximus
existens et apostolus.

III.

Florebat in uirtutibus,
ut lucifer clarissimus,
quem diligens prae omnibus
aeterni patris filius

IV.

Recubuit in pectore,
caelesti hausto nectare
amplectitur diuinitus
ut Christi amantissimus.

V.

Virgo electus domini
a Christo datur uirgini,
ut alter esset filius
post ipsum dilectissimus.

VII.

Gloria tibi.

Brevier aus Rheinau in Zürich (Num. CXXXIII) saec. XIV p. 577 ohne Überschrift nach dem bekannten Hymnus auf den Evangelisten Johannes. (Mone 704): Solemnis dies aduenit. In der gleichen Hs. finden sich ohne Überschrift zwei weitere Hymnen auf eben denselben, welche Morel (n. 265. 264) aus dem gedruckten Konstanzer brevier schöpfte.

IV. De s. Andrea.

I.

Eia fraterculi,
fide deuoti,
apostoli Christi
festa canamus
non sono tantum oris,
sed chorda cordis.

II.

Imple, Christe, nobiscum,
quicquid est uacuum,
operibus sanctis,
laudibus tantis,
ut simus digni talem
psallere patrem.

III.
Dignus consistit,
quem deus dilexit
reuocans piscantem
fecit doctorem,
nos rete fidei
iubens piscari.

IV.
Crucis supplicium
quem scimus perpessum,
dum crucis mysterium
pandit uerendum,
in qua deus nostra
tulit peccata.

V.
Odor suauissimus
est deo factus,
dum figitur cruci
nolens dimitti,
martyr dignissimus
scandit ad caelos.

VI.
Nostris nunc precibus
omnes rogemus,
ut nos ad patriam
Christus aeternam
per eius merita
ducat post uitam.

VII.
Laus sit digna deo
patri et nato
pneumatique cum sancto
uni et trino
semper per omnia
saeculi saecula. Amen.

Brevier aus Rheinau in Zürich (Num. CLV) saec. XV. p. 743: Andrea. — Mone (n. 692) schöpfte aus einer hier wie in andern Liedern (nr. 1068. 1147) unzuverlässigen Hs.

V. De s. Antonio.

1.
Plaudat chorus caelestium,
resultet orbs terrestrium,
dum refert solis orbita
Antonii solemnia.

2.
Qui annis puerilibus
Orbitatus parentibus
elegit sequi dominum,
a quo accepit centuplum.

3.
Extimplo uox insonuit
in qua Christus apparuit,
dicens per mundi gloriam,
te nominare faciam.

4.
O uenerande polifex,
pius nec tardus opifex
cunctis, qui corde credulo
te poscunt in periculo,

5.
Confer uitae remedia,
aufer carnis incendia,
ut post eius excidia
tecum simus in gloria.

6.
Praesta pater piissime,
Jesu cum sacro flamine,
ut Antonii precibus
iungamur tuis civibus.

Brevier von Wettingen (Mscr. Wett. 8) in Aarau. — Papier, saec. XV. fol. 81^{v}: De sc̄o Anthonio. — 24 tuis in celestibus. Hs.

VI. De s. Benedicto.

Festa praesentis celebret diei
mente deuota populus fidelis,
quam sacris ornat meritis beatus
uir Benedictus.

Uixit in mundo reprobando mundum
celsior mundo, superae gerendo
feruido uitae meditationem
pectore iugem.

Signa uirtutis operum potentum
densitas pandunt, quis in eius aula
cordis arcana residens regebat
abdita sacra.

Asperos fortis superat labores,
iusta sectatur, tumidos honores
spernit et prauos premit appetitus;
cuncta scienter.

Daemones pellit, retegitque corda,
res et absentes uidet et futuras,
membra languentum redeunt saluti,
mortua uitae.

Panditur mundus simul omnis illi,
uisque naturae uiolenta cedit;
spiritus iustos hominum petentes
sidera cernit.

Praebet in somnis documenta mire,
uincla tortoris uacuat uidendo,
fallitur fallax uetus anguis, illum
fallere temptans.

Fractus humani generis uidendo
hostis immanis gemit, et dolendo
inuide frendens queritur coactus
de Benedicto.

Poscimus, uictor benedicte felix,
ut triumphanti tibi qui fideli
mente congaudent, miseris beatus
compatiaris.

Laus deo, uirtus, decus et potestas
simplici semper pariterque trino,
cuncta qui portat, superat, gubernat
claudit et implet. Amen.

Brevier aus Rheinau in Zürich (Num. CX) saec. XIV—XV. fol. 10r. — Morel Nr. 362. 363, der dieselbe Hs. benutzte, hat Verschiedenes geändert.

VII. De s. Guillermo. Ad uesperas.

I.

Jesu corona celsior
cultum dans sponsae regium,
cui ueritas sublimior
iam reddit uitae praemium.

II.

Da supplicanti coetui
huius obtentu gratiam,
ut tui data fletui
culpa reportet copiam.

III.

Anni recurso tempore
dies solemnis claruit,
quo Guillermus de corpore
migrans superna meruit.

IV.

Hic uana terrae gaudia
spernens se summis implicat,
iure sibi caelestia
fide uotisque uendicat.

V.

Te, Christe, rex piissime!
iugis hic pulsans precibus
hostes expugnat animae
fraudis elisis artibus.

VI.

Uirtutum actu et fide
praesul ornatu praeditus
mentis degustat auide
haustu saporem spiritus.

VII.

Plus currit in certamine
longo confligens praelio,
quam martyr fuso sanguine
cum ictu gaudens praemio.

VIII.

Proinde te piissime
precamur huius meritis:
nos a peccatis exime
uitae deducens semitis.

IX.

Gloria tibi domine,
gloria unigenito
una cum sancto flamine
cultu reddatur debito. Amen.

Brevier aus Wettingen in Aarau (Mscr. Wett. 7) saec. XIV, im Reimofficium dieses Heiligen. Dreves (Anal. h. IV Nr. 493) schöpfte den auf das bekannte: Jesu corona celsior (Dan. I p. 110) gedichteten Hymnus aus einem Antiphonar des XVII. Jahrh. — 19 expugnant Hs.

VIII. De s. Guillermo. Ad completorium.

I.

Enixa est puerpera
supernum regem gloriae,
qui praemiorum munera
Guillermo dedit hodie.

II.

Foeno iacens humanitus
uana quaeque sunt mutui,
spreuit Guillermus penitus
carnem subdens spiritui.

III.

Gaudet chorus caelestium,
nam de sede Bituricae
transfertur hic in gaudium
stella magorum indice.

IV.

Memento, praesul inclite,
qui noster pastor diceris,
quod spreto mundi tramite
monachi formam sumpseris.

V.

Gloria tibi, domine,
Guillermi data laudibus
praesenti detur agmine
cordis uotis et uocibus. Amen.

Ebenda — Das Stammlied ist der bekannte Hymnus des Sedulius.

IX. De s. Guillermo. Ad tertiam.

I.

A solis ortus cardine
caelestis aula resonet,
nouo cantusque carmine
Guillermo laudes intonet.

II.

Beatus iste meritis
uictor redit ad brauium
mundi uictis illicitis
regni sumpturus praemium.

III.

Castae mentis ab intimo
curam gerens de ouibus
uota reddit altissimo
iunctus eius amplexibus.

IV.

Domus pudici pectoris
sancto repleta flamine
fundo figitur marmoris
ne laedatur a turbine.

V.

Gloria tibi, domine,
primatis huius merito
laudis detur cum carmine
mentis affectu debito. Amen.

Ebenda. — Dasselbe Stammlied.

X. De s. Mauro Abbate.

1.

Aeterna, Maure, gaudia
Christi coruscans gratia
uotis amasti quaerere
fameque, siti, frigore.

2.

Sacri minister dogmatis
a patre Gallis mitteris,
deuota quorum pectora
uerbi cibasti gratia.

3.

Effloruisti plurimis
circumdatus miraculis,
semper studens excrescere
in sanctitatis culmine.

4.

Sermone discis angeli
dei secreta maximi
eius repletus lumine
et roboratus sanguine.

5.

Clarior omni sidere
iam gaudes agni munere
in arce pollens aetheris
uitae perennis praemiis.

6.

Sit sempiterna gloria
patri deo cum filio,
una cum sancto spiritu
in saeculorum saecula. Amen.

Brevier von Muri in Aarau (Mscr. Muriens 9 fol.) s. XV. f. 251^{v}, col. II: De sancto Mauro abbatis. — 10 circumdatiss Hs. — 16 samine Hs. — 20 premii Hs.

XI. Ad nocturnos hymnus.

1.

Norma iubarque fidei,
Maure, clarescis inclite,
defunctis uitae redditor
et caeco lucis praestitor.

5.

Tuique patris oblitus,
et fratrum longe praescius,
munisti uerbi flosculis
magnum iter ad superos.

3.

Magistri factus collega,
decus formaque monachi,
uirtutum septum gemmulis
sulcasti callem subditis.

4.

Errantes oues excipe,
pastor pie sanctissime,
ad regnum celsitudinis
sacris attolle brachiis.

5.

Christe, precamur fragiles,
ut nostra soluas crimina,
qui es cum patre filius
semper cum sancto spiritu. Amen.

Dieselbe Hs. s. XV. f. 252^{r} col. I. Ad no. ymnus.

XII. Ad laudes hymnus.

1.

Luce refulgens aurea
dies claret sanctissima,
qua Maurus sacratissimus
caelum conscendit monachus.

2.

Hic sacri tirocinii,
sanctitatis egregiae
et uirtutum insignia
diuina sumpsit gratia.

3.

Jussu patris sanctissimi
instar Petri apostoli
undosi limpham gurgitis
planta calcauit stabili.

4.

Eodem Christo praeuius
Galliam missus petiit,
quam monachorum gregibus
pollere fecit affatim.

5.

Cuius, oramus, precibus
annue, deus, miseris,
ut suspiremus seduli,
quo gaudet tecum perpetim.

6.

Sit uirtus honor gloria
potestas et oratio
trinitati deificae
per infinitia saecula. Amen.

Dieselbe Hs. s. XV. fol. 252r col. II. Ad laudes ymus. — 3 sc̄tissimus Hs. 5 Hii Hs. — 21 et gloria Hs.

XIII. In natale s. Nicolai.

I.

Festa condignis celebremus hymnis
praesulis magni merito colendi,
qui deo dignis meruit probari
uoce superna.

II.

Pontifex factus Nicolaus armis
clarus in dictis * * * que factis
dominosa * * * * * * *
corpore casto.

Bruchstück aus einem Chorbuch in Zürich (C 63/690) saec. XIII.

XIV. De s. Uincentio.

1.

Alma lux mentium
spes credentium
tutela martyrum,
ductor bonorum,
hymnizando sumus
quas pangimus odas.

2.

Inclita martyris
inuictissimi,
tui Uincentii
festa triumphi
en colimus pio
laeti conmercio.

3.

Mira constantia
uicit omnia,
perseuerantia
spreuit tormenta
poenis nam in tantis
crux est trucidantis.

4.

Huic sunt ridicula
mortis spicula,
ignis craticula,
ferri lamina
igne micantia
crebro applicata.

5.
Tandem emeritum
reddit spiritum,
aurum ut septuplum
igne probatum,
ad ueram patriam
paradisiacam.

6.
Eius ob meritis
tuis famulis,
qui suis propriis
egent in bonis,
Jesu, uitae dator,
sis propitiator.

7.
Sit laus ingenito,
unigenito,
patrique, filio,
pneumati sancto
aequali gloria
per saecula cuncta.
Amen.

Brevier aus Wettingen (Mscr. Wett. 8) Papier, saec. XV. fol. 82r: De sco Vincencio.

XV. De s. Afra. Ad laudes.

I.
Christe, salus credentium
unica spes maerentium;
peccandi paenitentiam
da paenitenti ueniam.

II.
Sancta nobis hoc optime
Afra, quae scis optime,
quis possit hunc inuenire,
qui per se cupit perire.

III.
Per te memento perisse,
in ulnis Christi redisse,
quibus imponas precibus
nos te supplices petimus.

IV.
Praesta pater.

Brevier aus Muri (secundum nouam reformationem consuetudinum sacri monasterii Murensis) in Aarau. (Mscr. Mur. 10 fol.), saec. XV. fol. 106r. — 6 ist wohl verdorben.

XVI. De s. Agnete.

1.
Inter choros iam uirginum
Agnes floret ut lilium
ante regem dominum
uirginis matris filium.

2.
Stirpe moribus nobilis
deum gerens praecordiis,
dum ab scholis graditur,
prole iudicis amatur.

3.
Illi dum nollet cedere,
patris astans praesentiae
ad lupanar trahitur
induuiis ac priuatur.

4.
Adest praefecti filius
quem praefocat diabolus,
dolet pater mortuo
sed gaudet resuscitato.

5.
Dehinc flammis circumdatur,
inlaesa ferro necatur,
en spiritus eius (?)
in requie collocatur.

6.
Christus, nostris criminibus
eius indulge precibus,
qui cum deo patre
et sacro regnas pneumate. Amen.

Brevier aus Rheinau in Zürich (Num. CXXXIII), saec. XV. p. 584. Morel (Nr. 335) benutzte die Einsidlerhs 84, saec. XV. p. 675, die aber fehlerhaft ist. — 8 amator Hs. — 15 mortuos Hs. (s von jüngerer Hand). — 19 es fehlt ein Verbum. —

XVII. De s. Agnete.

1.
Inclita Agnes
intrauit aureolam
rosas calcans, lilia
collegit quam plurima.

2.
Sertum ut Christo
plecteretur domino
c. . ctos amigdala
subiunxit et florida.

3.
Sponsus pro serto
tradidit monilia,
ornamenta aurea
anulum cum corona.

4.
Jubila sancta
Roma cum ecclesia,
Agnes tua filia
iam fulget in gloria.

5.
Laus atque honor
patri sit et filio,
qui choro uirgineo
praeest cum igne sancto.

Brevier aus Wettingen (Mscr. Wett. 8), Papier, saec. XV. fol. 81v. — 7 Die zwei ersten Silben dieses Wortes unentzifferbar.

XVIII. Sanctae Caeciliae uirginis.

I.
Jesu Christe,
patris unigenite,
natus ipse uirginis,
amator castitatis.

II.
Te inspirante
mentes tibi deuotae
annos, sexum superant
uiriliter decertant.

III.
Inter stupenda
quae facis miracula,
magnum dat spectaculum
triumphus feminarum.

IV.
Quae splendida
castitatis lilia,
ut sic magis luceant
fuso sanguine purpurant.

V.
Inter quas sancta
hodie Caecilia
ut rosa in Jericho
floret coram domino.

VI.

Haec quidem suum
sponsum Valerianum,
una cum Tiburcio
fidei iunxit gremio.

VII.

Laus, gloria,
honor et uictoria,
patri sit et filio
spirituique sancto. Amen.

Brevier aus Rheinau in Zürich (Num. CXXXIII), saec. XV. p. 655. — 7 sexu Hs. — 8 uiriliterque Hs.

Ebenda findet sich das ähnliche Lied auf die h. Ursala und ihre Gespielinnen. (Dreves Anal. IV Nr. 471.)

B. Sequenzen.

I. Natale domine.

I.

a. Quem aethera et terra atque mare
non praeualent totum capere
b. . . sine praesepe infans implet
caelos regens ubera sugens.

II.

a. Factor iustis factus hodie est de matre,
b. Creans diem hodie creatus in die.

III.

Nascitur mundo oriens, Gabriel
quem uocauit Emmanuel
hodie sanctus deus.

Von einer Hand des XII.—XIII. Jahrh. in ein Missale aus Rheinau eingetragen (Num. CXXXII, saec. XI). Die am Rande stehenden Neumen geben obigen Parallelismus der Versikel.

II. De sancta cruce de utroque festo.

I.

O crux aue! frutex gratus
caeli rore fecundatus
rubens agni sanguine.
Aue lignum triumphale,
inter ligna nullum tale
fronde, flore, germine.

II.

Per te mundo uita redit,
ignis, grando, daemon cedit,
uincla morbi fugiunt.
Sacramentis das uirtutem,
robur, pacem et salutem
te qui colunt sentiunt.

II.

Salue lignum mundo suave,
semper uale, semper aue,
tot florens uirtutibus,
Sed nos, crucis consecrator,
signa thau, uitae dator,
dans uexillum frontibus.

IV.

Juxta crucem conpassuri
cum Maria da maturi
stemus in angaria
Et post huius uitae cursum,
cum Maria laeti sursum
perfruamur gloria.

Sequentiar von Muri in Aarau (Cod. Mur. 6 q.), saec. XV. — 5. 6. Aus Adam von S. Victor Sequenz Laudes crucis attollamus. — 24 gloria fehlt.

III. De s. Michaele.

I.

a. Summi regis archangele Michael!
b. Intende, quaesumus, nostris uocibus;

II.

a. Te namque profitemur esse
supernorum ciuium principem.
b. Tu deum obsecra pro nobis,
ut mittat auxilium miseris.
c. Te deum geueri humano
orante diriguntur angeli.

III.

a. Ne laedere inimici, quantum cupiunt, uersuti fessos umquam mortales praeualeant.
b. Idem tenes perpetui principatum
paradisi semper te
sancti honorant angeli.

IV.

a. In templo tu dei turibulum aureum
uisus es habuisse manibus.
b. Inde scandes uapor aromate plurimo
peruenit ante conspectum dei.

V.

a. Tu crudelem cum draconem
forti manu straueras, faucibus illius
animas eruisti plurimas.
b. Hinc maximum augebatur
in caelo silentium, milia milium
dicebant: salus regi domino.

VI.

a. Audi nos Michael, angele summe!
huc parum descende de poli sede,
nobis ferendo opem domini
leuamen atque indulgentiae.
b. Tu nostros, Gabriel, hostes prosterne!
tu, Raphael, aegris affer medelam!
morbos absterge, noxas minue!
nosque fac interesse gaudiis beatorum.

Hs. zu Einsiedeln Nr. 121, s. XI. p. 583 mit Neumen; vgl. Mone Nr. 317, Kehrein 172a und b.

Abteilung der Hs. wie oben, mit Ausnahme: 1 arch. | Mich. — 14 sanc | ti. — 17 aromate | pl. peru. | ante. — 20 fauc. | ill. an.

IV. De beata uirgine.

I.

a. Post partum, in partu et ante
mater uiri nescia,

b. Electa dilecta dilecto,
aue plena gratia.

II.

a. Aue decus orbis terrae,
qui salutem mundi ferre
mundi factor contulit.

b. Uirga florens, sed non arens,
Uirgo prolem uera parens
quando mire protulit.

III.

a. Flos conuallis es, Maria,
flos in spinis sine spina,
terra careus uomere;

b. Tu flos caste candidatus,
flos et fructus detenatus
crucis rubens sanguine.

IV.

a. Flos spineto cruentatus,
quando spinis coronatus
mundum lauit crimine.

b. Ubi uirgo uirginali,
casta casto, par aequali
donaris custode. (?)

V.

a. Stabat, inquit, iuxta crucem
mater Jesu dolens, trucem
mortem pati uitae ducem;
stabat et discipulus.

b. Stabat ille qui electus
uerae uitis palmes rectus,
quique magis est dilectus
ac familiarius.

VI.

a. „Mater", inquit „ecce natus,
natus tibi pro me datus,
tui custos caelibatus,
cole caelebs caelibem."

b. Mox ad illum: „Ecce tua,
tua mater, hanc procura,
uenerare fide pura
seruans uirgo uirginem."

VII.

a. Sancta uirgo, felix mater,
sancte fili, nobis pater,
uestrae partem nos tutelae,
uestrae sortem clientelae
uelitis efficere.

b. Uitae porta,
nos conforta,
stella maris,
nos amaris
mundi curis
heu quam duris,
umbra mortis
nouae sortis
uirgo clemens exime.

VIII.

a. Nemo frustra te precatur,
qui pro suis anxiatur
meritis Maria.

b. Tu peccato clausus hortus,
sed peccanti patens portus,
lapsis dux et uia.

IX.

a. Uirgo mater, nati nata,
nobis assis exorata,
ut, qui per nos nil habemus,
unum iuste postulemus:
sempiterna gaudia.

b. Licet ualde peccatores,
tui tamen laudatores;
liberati cruciatu
per te sumus de reatu,
saltem digni uenia.

X.

a. Non nobis, domina, non nobis, sed
nomini tuo da gloriam, ut, in nobis
tua dona munerentur,

tuque de nobis quod Sanir
et Hermon coroneris.

b. Electa ut sol sole clarior
et unice dilecta, da nobis scire te
scire nos, scire delectum
ex dilecto, amborumque
sacram dilectionem.
Amen.

Sammelhs. in Zürich (C 58/275), saec. XII exeunt. fol. 149r col. I ohne Überschrift, ohne Abteilung der Zeilen; die Stollen sind meist durch grosse Anfangsbuchstaben kenntlich gemacht. — 22 vielleicht dominaris mit pass. Bedeutung. — 34 cela celeps Hs. — 56 ortus Hs. — 58 lapsus Hs.

V. De beata uirgine Maria.

I.

a. Ad haec festa sabatina
pangat nunc ecclesia

b. Sono duplo uoce trina
Mariae praeconia.

II.

a. Haec est salus haec est uita
peccatorum omnium;

b. Haec turris bene munita
pauperum refugium.

III.

a. Mater dei mater nostra
mater et angelica,

b. Quae cassauit, quae curauit
uenena diabolica.

IV.

a. Hostes terret turris illa
fugans multa milia;

b. Domini haec est ancilla
filii et filia.

V.

a. Haec est mirtus, cuius uirtus
penetrauit sidera

b. Nardus sapit, et hanc carpit
rex, qui regit aethera.

VI.

a. Cui placet, ut nunc placet,
transgressoris crimina.

b. Quam exaudit et applaudit
per eius peccamina.

VII.

a. O quam cara et quam clara
haec est mater filio,

b. Quem arridet, quando uidet,
rosa iuncta lilio.

VIII.

a. O quam plena et amoena
est haec laude caelica,

b. Quam decorat, quam honorat
phalanx archangelica.

IX.

a. Cupit natus, ut sit datus
dies ille uirgini,

b. Ut succedat et praecedat
solemnitas filii.

X.

a. Stat cum eo, ut sit reo
impetratrix gratiae,

b. Quam nil fessat; nam non cessat
coram eius facie.

XI.

a. Ergo pia o Maria!
laudes nostras suscipe;

b. Nos a poenis et uenenis
serpentinis eripe!

XII.

a. Nos tuere nos gaudere
fac, o dulcis domina!

b. Immortali aeternali
nos commendans regi saecula
per omnia.

Missale von Muri in Aarau (K. 4) vom Jahre 1532 mit der Melodie in Choralnoten: Alia sequentia.

VI. Conceptionis beatae Mariae uirginis.

I.

Mater regis summi dei filia hodie Maria mire concepta.

II.

a. Aue porta clausa ex stirpe Dauid et radice Jesse egressa, contra naturalem decursum parta.

b. Tu uellus Gedeonis, Sampsonis robur, decus Absalonis praecellis in modum totum quod capit orbis.

III.

a. Haec nubes lenis, super quam scandens dominus Aegyptum est ingressus, ut commouerentur idola a facie eius.

b. Eua oboediuit serpenti, cuius caput contriuit uirga haec Aaron arida, quae florem genuit teste propheta.

IV.

a. Ut uirgula fumi per desertum ascendit ex mirrhae et thuris aromatibus ac uniuersi pulueris pigmentarii.

b. Stella maris, hortus conclusus, quam dominus ab aeterno possedit et ex antiquis, antequam terra fieret, ordinauit.

V.

a. Historia probat Anglicana, quod festum istud conceptionis miraculosae est iussum celebrari sexto Idus mensis Decembris, ut, qui praecepit honorare parentes, suam pro toto honoraret matrem.

b. Virtutum cuius odor aromata super omnia uirgo Maria in et ante et post partum inuiolata permansisti, sic, ut te figuraret typo, rubus quondam apparens Moysi permanserat incombustus.

VI.

a. Malum dominus per te conuertit in Israel atque omne auferens stannum excoxit ad purum scoriam omnem et primae parentis compurgauit rubiginem.

b. Mundus quae uere totus ingratus fuit tua conceptione sancta, quae omni caret originalis maculae ruga, quod determinat synodus Basileae sacra.

VII.

a. Eia! nos, aduocata nostra, exaudi clementer!

b. Labem peccati qui tollat, natum ora feruenter!

VIII.

Lumbosque praecingat amore tuae conceptionis ac suae passionis merito nobis misereri dignetur miseris.

Missale aus Muri in Aarau (K. 5). Eingetragen mit den Noten im Jahr 1535. Die Abteilung der einzelnen Versikel unterblieb, da eine solche sich nicht durchführen lässt.

VII. De beata uirgine.

I.

a. Salue mater, mater patris,
soror sponsi, sponsa fratris,
regis regum regia.

b. Haec est rubus inflammatus,
quem non calcat calciatus
sacra reuerentia.

II.

a. Sicca prius praeter morem
uirga frondens profert florem
nucemque cum nucleo.

b. Inconpluta manet tellus,
dum conplutum madet uellus
Gedeonis horreo.

III.

a. Res miranda: uirgo prolem,
palmes uitem, stella solem,
homo deum baiolat.

b. Prodit sponsus noua sorte,
nunc intactae claustrum portae
prodiens diffibulat.

IV.

a. Aue plena gratia,
cella pigmentaria,
cinamomi calamus,

b. Mundi sanctuarium,
caeli promptuarium,
trinitatis thalamus.

V.

a. Tu trium triclinium,
trium domicilium,
trium tabernaculum,

b. Patris consistorium,
filii palatium,
spiritus cenaculum.

VI.

a Audi, mater ueniae,
proscriptos miseriae,
matris Euae filios,

b. Per peccatum uenditos,
ad gemendum genitos,
poenae tributarios.

VII.

a. Audi, reos, o benigna,
dele thetam, tau signa
felici caractere.

b. Hoc sigillo Salomonis
fac monetam Pharaonis
nummos tuae dexterae.

VIII.

a. Maris stella, de procella,
* * * * * * * * * *
nos ad portum protrahe.

b. Ex hoc mari fac leuari,
fac seruari, fac locari,
nos in sinu Abrahae.

Sammelhs. in Zürich (C 58/275), saec. XII—XIII. fol. 184^{r} ohne Überschrift.

VIII. De s. Bartholomaeo.

I.
Celebri regi gloriae
est attollenda laude
praesens haec diecula.

II.
Et a Christi ueneranda
iugiter plebecula
honore in sanctissimi
piique apostoli,

III.
Linguarum peritissimi
cunctarum, Bartholomaei

IV.
a. Eius namque miracula
extrema canit India
decenter.

b. Amoris dei facula
accensum timent idola
frequenter.

V.
a. Virtus cessauit Astraoth,
dum seruus dei Sabaoth
templo appropinquabat,

b. Ubi latebat idolum,
quod illudebat populum,
qui ipsum adorabat.

VI.
a. Huius causa mysterii
alterius daemoenii
uersutiam pauescens recitauit,

b. Absentemque apostolum
affirmans dei famulum
ipsius flatum uulgo demonstrauit.

VII.
a. Curando hic lunaticam
plus quam auri sarcinam
gentes gliscit lucrari;

b. Regem cum regni populo
credentem Christo domino
hortatur baptisari.

VIII.
a. Atroces spreuit uerberum
pressuras et stridentium
horrores.

b. Excoriatus coluit
deum, pieque sustulit
dolores.

IX.
a. Nos ut eius precibus
a peccatorum faecibus
mundemur et affectibus
aeternis simus tuti,

b. Praestet beata trinitas;
et ipsa donet unitas
aequalis semper deitas
ne damnemur polluti.

Missale von Rheinau in Zürich (Num. VI) saec. XV. fol. 183b col. II. Morel Nr. 271 (Kehrein N. 423) schöpfte aus derselben Hs. — 5 piis iugiter Hs. — 15 dicenter Hs. — 22 mīsterii Hs. — 29 scheint eine Silbe zu fehlen, vielleicht per. — 34 achroces Hs. — 40 Morel ergänzt: Nos et ipsius pr. — 43 sumus Hs.

IX. Marci euanglistae.

I.
Sancti martyris festum
et euangelistae

II.
a. Circumquaque ueneratur populus
gratulabundus;

b. Et prae cunctis laetabunda Sueuia
canat patronum!

III.

a. Istum in animalibus quatuor
Ezechiel propheta quondam sacer
prospexerat praefiguratum;
b. Hunc cernens spiritalibus oculis
praesignatum Johannes leonis in
effigie mysteriarches.

IV.

a. Hic sancta sequens Petri uestigia
Romam peruenit:
b. Illic diuina signa conscripserat
euangelista.

V a.

Et, inde missus iussu Petri pio,

VI a.

Alexandriae uerbo salutari
illustrauit populos.

V a.

Ibique Christus carceri inclusum

VI b.

Euangelistam uisitando suum
salutauit dulciter.

VII.

a. Nam fortem triumphatorem,
suo pro nomine pugnantem,
b. Rex caeli suum
corona militem donauit.

VIII.

a. Cuius sanctissimi thesaurus corporis
b. Terris Germaniae aduectus plurimis
renitet miraculis.

IX.

a. O patriae, Marce, decus
honor atque salus!
b. Cum plebe cuncta tibi
supplicantes seruulos

X.

Benigne fautor, tuere!

In einem Missale aus Rheinau in Zürich (Num. CXXV), saec. XII p. 201.

Kehrein Nr. 426 nach Morel Nr. 278, welch letzterer Cod. Einsidl. 366 saec. XII. benutzte. Da dessen Quelle am Ende lückenhaft war, so erkannte Bartsch die Melodie nicht. Diese Sequenz wurde offenbar nach der Notkerischen Weise „*Justus ut palma maior*" gesungen; hier wie Kehrein Nr. 535 hat der erste Stollen 13 Silben. Ist vielleicht diese die ursprüngliche Sequenz? die andern Texte nach dieser Melodie (Kehrein 342; 351; 648) sind im ersten Stollen kürzer; sie haben Melismen.

Die Anordnung innerhalb der einzelnen Versikel ist geschehen auf Grund der handschriftlichen Einteilung von Kehrein 342. 351, die in fast allen Punkten übereinstimmen; doch könnte III anders geordnet werden; V hat die gleiche Weise wie die erste Zeile von VI. Nach der gleichen Melodie geht die Sequenz auf den Evangelisten Johannes bei Milchsack Nr. XXVIII p. 15; doch fehlt der einleitende Versikel, und kleinere Abweichungen bezeugen die Ungeschicklichkeit des Nachahmers.

X. De omnibus sanctis.

I.

Sancta dei mater uirgo benigna Maria!

II.

a. Tu nos miseros adiuua
atque Christi gratiam nobis impetra!

b. Qnae nos tua per merita
deuitare faciat cuncta noxia.

III.

a. Beate Michael tu pro nobis
maiestatem superni regis inuoca!

b. Et cuncti caelibes simul ciues,
commendate nos deo prece sedula!

IV.

a. O Johannes Christi baptista,
pro nobis indignis iugiter ora!

b. Et tu, sancte Petre, dignare
cuncta disrumpere nostra uincula!

V.

a. Omnes domini apostoli,
soluite delicta nostra!

b. Quia uobis est a domino
potestas ad hoc concessa.

VI.

a. Nunc sancti martyres, qui uestra
tradidistis corpora,

b. Pro Christi nomine libenter
multa ad supplicia;

VII.

a. Uos quoque confessores Christi et sacerdotes,
uirginumque sanctarum turma praeclara!

b. Precamini pro nobis, ne nos seducat hostis
neque uana gloria nec laus humana!

VIII.

a. Omnes sancti dei,
uerba pro nobis ferte pia!

b. Rogate dominum,
ut nostra deleat crimina!

IX.

a. Et nos euadere faciat
inimici scandala et inferni claustra!

b. Nos atque per suam collocet
pietatem requie saltem in aliqua!

X.

a. Ut libeat nos dicere:
honor, laus et gloria

b. Sancta tibi sit trinitas
per aeterna saecula!

XI.

Amen dicant simul cuncta!

In einem Missale des XVI. Jahrhunderts (1532—1535) aus Muri in Aarau (Murens. K 5) mit der Melodie in Choralnoten: Alia.

Die Sequenz ist augenscheinlich nach dem Vorbild der notkerschen Melodie „*Eia, turma*“ gebaut: alle Versikel reimen auf a; in andern Sequenzen, die dieser Melodie folgen, ist auch der Binnenreim verwendet, z. B. Kehrein Nr. 701. — Dreves Analecta h. VIII Nr. 104.

XI. Decem milium militum.

I.

a. Gratulemur hoc die sacro
canentes Alleluia:

b. Adrianus milia martyrum
decem crucifixit.

II.

a. Terrae motus factus est,
quorum sunt in transitu
petrae scissae.

b. Et sol obscuratus est
hora sunt et tenebrae
sexta factae.

III.

a. Tunc hi sancti martyres
Christo, sui memores,
commendarunt

b. Exclamantes: domine!
nostras preces suscipe
pro deuotis.

IV.

a. Sanitatem corporum
ubertatem domuum
tribuendo

b. Medicamen animae
et caelestis patriae
consolamen.

V.

a. Et si sint in praeliis
non nocens uisibilis
aut sit inuisibilis inimicus.

b. Diei ieiunium
nostrae mortis unicum
claudat anni circulum paenitentem.

VI.

a. Uox caeli tonuit,
dilectis intulit:
uobis data sunt haec omnia.

b. Emittunt spiritum,
da, Christe, caelicum
nobis assequi consortium.

Missale aus Muri in Aarau (K. 5) vom Jahr 1532 mit der Melodie. Auch zwei Missalia aus Rheinau bieten denselben Text ohne erhebliche Abweichungen. Morel Nr. 305 bot einen verdorbenen Text aus einer Engelberger Handschrift des XIV. Jahrhunderts. Der Text ist nicht nach notkerscher Art „syllabatim“ der Melodie angepasst.

XII. De simplici confessore sequentia.

I.

a. Laetabundo cordis ore
psallat chorus in honore
regis regum incliti

b. Sanctus hic cuius amore
fastum mundi suo flore
flocci pendit sterili.

II.

a. Mente pura, uoce uoto
conuersando corde toto
semper in caelestibus.

b. Uerbo, uita collaudando
deum, seque conformando
summis caeli ciuibus.

III.

a. Martyr corpus castigando
carnem suam macerando
hostem strauit pedibus

b. Uita uiuens Jesu Christi
hunc secutus, quare sisti
caeli debet sedibus.

IV.

a. Hic talentum sibi datum
reportauit duplicatum
non celans sudario.

b. Audit: Euge, serue bone!
data plena ratione
caeli thesaurario.

V.

a. Hic fidelis prudens uerna
aula gaudet in superna
pro mensura tritici

b. Inter coetus prophetarum
melos audit is cordarum
organi Dauitici.

VI.

a. Ergo pater et patrone
sis defensor in agone
tuo consolamine

b. Fac ut data ratione
fiat praemium coronae
mortis in examine.

Missale aus Muri in Aarau (K. 5) vom Jahre 1532 mit Noten.

XIII. De s. Findano.

I.

Summa laude diem nunc patris
Findani celebremus

II.

a Qui sub exemplo
praecipui patriarchae

b. Cognationis et patriae
affectu derelicto

III.

a. Peregre ducem subsequens deum
b. Factus est fide proles Abrahae.

IV.

a Beatitudinis
simul heres illius

b. Terrae uiuentium
possidet eulogium.

V.

a. Hic enutritus aula Pharaonis
a. Opes regni Moyses spernens caducas.

VI.

a. Habuit hunc suae
moribus uerum asseclam uitae.

b. Cum bonis saeculi
praetulit improperium Christi

VII.

a. Et ollas carnium
Aegyptiarum uitalis hostiae
solo respuit amore.

b. Ut manna caelicum
deque petra potum suppeditaret
uia, fame, siti lassis.

VIII.

a. Hinc Christus hunc suae
iam participem mensae
b. Plene perpetuis
admittit deliciis,

IX.

a. Ubi gutta precum
nos pauxilla suarum
b. Aestuantes igne
refrigeret animae

X.

Auriculari de summo.

Diese in den meisten Sequentiarien und Missalen aus Rheinau sich findende Sequenz ist gedichtet auf die notkersche Weise „Justus ut palma minor". Welches Daniels Quelle (Kehrein Nr. 563) war, ist ungewiss.

XII. In natale s. Januarii et sociorum.

I.

a. Christum laude celebri sexus et aetas
inuisibilem omnis canat,
b. Hanc qui dieculam nobis septenis
fecit testibus celebrandam.

II.

a. Quorum primus electus dei
Januarius est pontifex.
b. Angelico in uultu semper
deo seruiens emicuit.

III.

a. Hic poenas sustinuit patiens
sub principe saeuo Diocletiano
pro Christi nomine plurimas,
ut hostis cruenti fauces
inmunis euaderet rabidas.
b. Libamen cum sperneret idolis
Christi patris athleta inuictissimus,
offerre carcerali iussit,
afficit insanus iudex
atrociter martyrem domini.

IV.

a. Mox inde ignito traditus furno
ex domini iussis et sanus exiit.
b. His praeses agnitis perfurens ira
iussit neruos scindere militi dei.

V.

a. Post haec ad fidem dei
incredulos conuertit populos
Timotheo oculos reddit et claros.

b. Christus uolens martyri
certaminis finem imponere
decollari permisit iunctis sociis.

VI.

a. Conregnant nunc incliti martyres
in caelis cum Christo
domino et eius cunctis angelis.

b. O pie Januari! precibus
nos deo sedulis
commenda cum piis tuis sociis.

Sequentiar von Rheinau in Zürich (Num. CXXXII, saec. XI) p. 145 von einer Hand des XII.—XIII. Jahrhunderts eingetragen. Die auf dem Rande stehenden Neumen sind die der Melodie „*Dies sanctificatus*". Die Abteilung innerhalb der einzelnen Versikel ist in der Hs. meist eine andere. — 29 martyris Hs.

XV. De s. Mauritio sequentia.

I.

In Thebaeorum triumpho
coetus angelorum
gaudet et sanctorum.

II.

a. Horum mens inuicta
sacro duce Mauritio
b Caesaris edicta
spernit plena flagitio.

III.

a Nam contra Christum iurare
dum non obtemperant,
b. Mortis ad palmam praeclarae
decimi properant.

IV.

a. Dum non terrentur mox recensentur
et numero mox decimus interit.

b. Dux exhortatur ut mors spernatur
cum sociis socios ingerit.

V.

a. Hinc Exuperius
legionem inclitam confortat uberius.

b. Monet similiter
Candidus superstites constare uiriliter.

VI.

a. Jam desiderio sacrae mortis
regis imperio turba fortis
non paret, ut paret ensem sitiens
uitamque despiciens.

b. Grex ergo sternitur cum ductore
mors ipsa spernitur pro amore
caelesti; scelesti ruunt milites
in Christi satellites.

VII.

a. Aganus pingitur caeli floribus
cruoribusque tingitur.

b. Ministri scelerum gaudent poculis
in oculis tot funerum.

VII.

a. Aduenit uictor uocans hunc lictor
sed horret crimina contradictor.

b. Mox ense punctus, pari spe functus
honori martyrum est adiunctus.

IX.

a. Hi sub Diocletiano
quae sunt sursum quaerunt et sapiunt.

b. Ob hoc sub Maximiano
caelum uiolenti rapiunt.

X.

a. Agmen hoc praenobile fide non mobile
candidius astris iam in castris
fulget angelicis.

b. Purpurata legio murice regio
phalanx triumphalis fit aequalis
ciuibus caelicis.

XI.

a. O quam decoro choro
regi dux unitur,
pro quo gladio punitur

b. Rubrior ostro nostro
semper pro reatu
pio supplicet precatu.

XII.

Nos uerae uiti, Mauriti!
fecunda palmes ope precum tecum
inserat cohors, quam mors
non superat.

Missale aus Muri in Aarau (K. 5) vom Jahr 1532 mit der Melodie. Morel, Bartsch und Kehrein (659) erkannten dieselbe nicht: es ist eine Nachahmung des berühmten „*Laus tibi, Christe*“ von Godeschalk mit kunstvoller Reimbildung, vgl. Nr. XX.

XVI. De s. Stephano.

I.

Festa Stephani protomartyris Christi

II.

a. Sancta per orbem
ecclesia ueneratur,
b. Eiusque sacris in laudibus
hodie gratulatur

III.

a. Ordo, quem sacer apostolicus
b. Christi leuitam censuit fore,

IV.

a. Ut agni sanguinis
propinator fieret,
b. Imponitque manus
aptat et altaribus.

V.

a. Hic signis coepit pollescere crebris;
b. Nam uirtute et gratia
plenus diuina

VI.

a. Hic in synagogis
disputat sancto pneumate fretus,
b. Literis legales
docuit cunctas Christum sonare.

VII.

a. Caeli per ianuas
uidit ad dexteram patris
Jesum stantem,
se corroborantem.

b. Quem plebs lapidibus
prosternit impia
pro se flexis Christum
genibus orantem.

VIII.

a. Exemplo domini
morientis in cruce

b. Pro lapidantibus
intercedis, Stephane!

IX.

a. Jam nostri potius
miserere precibus,

b. Qui tuis laudibus
interesse cupimus,

X.

Leuita Christi praecelse!

Sequentiar aus Rheinau in Zürich (Num. CXXXII, saec. XI) p. 68: Item alia, mit den üblichen Neumen am Rande. Kehrein Nr. 712 aus Morel Nr. 538, der den gleichen Codex benutzte, ohne die Melodie „*Justus ut palma minor*“ zu erkennen.

XVII. De s. Thoma, episcopo Anglorum.

I.

Mundi pompam uicit almus
Christi martyr, unde psalmus
canitur in iubilo.
Uoce uoto concordemus
et in actu personemus
laudes dei filio.

II.

In quo fixus testis legis
factus forma sui gregis
patitur supplicium
Quod uolebat, diffiniuit
praesul Thomas, quem attriuit
cinis et cilicium.

III.

Terris pauper, caelo diues
caeli regnat inter ciues
caelesti conuiuio.
Justis forma disciplinae,
lapsis spes est medicinae,
angulus in biuio.

IV.

Chain Abel interfecit
frater fratrem; plus adiecit
hostilis nequitia:
Nam in patrem surgit natus
nec ueretur matris latus.
o! quanta saeuitia!

V.

Israhelis sub exemplo
lapis quadrus est in templo
cum mactatur aries.
Legis tenens armaturam,
Dauid dictus per figuram
duplex templi paries.

VI.

Passus signat Zachariam,
raptus Enoch uel Heliam
ueritatis azima.
Hostis perit in fornace
martyr Thomas stat in pace
pia factus hostia.

VII.

Aquis sanat Heliseus,
nos per istum sanet deus
sale sapientiae.
Ille lepra sanat Syrum;
iste multos — dictu mirum —
saluat dono gratiae.

VIII.

Job dolentis signatiuus
iam per mortem regnatiuus
Moysi consocius
Minas spernens Pharaonis
mare transit passionis
percurrens quantocius.

IX.

Ergo, martyr, huc adtende;
placa deum, nos defende
de mortis angustia,
Ut te duce uiam uitae
ambulantes expedite
cantemus Alleluia.

Aus einer Sammelhs. der Stadtbibliothek Zürich (vgl. Rom. Forsch. V p. 417) C 58/275 saec. XII—XIII auf dem letzten Blatt: Sequentia de sc̄o Thoma ep̄o Angl̄orum. Die Halbstrophen sind durch grosse Anfangsbuchstaben, die Zeilen durch Punkte bezeichnet. Darauf folgt in der Hs. die bekannte Sequenz „*Spe mercedis*“ (Kehrein 729).

XVIII. De V̊dalrico confessore et episcopo.

I.

a. Pangat hymnum V̊dalrici
felix ecclesia mater;
b. Tellus, mare uel aethra plaudat ouando.

II.

a. Ciues caelorum tripudio
gratulant nostrum.
b. Nam V̊dalricum, dum coetui
proprio sanctum

III.

a. Coniungunt, laeti gaudia
celebrant mundi;
b. Qui mundum spreuit mundano
principe tempto,

IV.

a. Hic praesul, supernae semper
intentus patriae,
b. Lubrica praesentis uitae
contempsit gaudia.

V.

a. Te nunc, inclite praesul V̊dalrice
Christi, precamur,

b. Ut, qui plura mitis caelestis gratiae
dona largiris,

VI.

Nos et hunc locum tuere.

Missale aus Rheinau in Zürich, Num. LV, saec. XIII. auf dem vorgesetzten zweiten Blatt.

Die Melodie der Sequenz ist die Metensis minor, zu welcher Notker den auf Othmar bezüglichen Text verfasste, der in einzelnen Hss. auch auf Ulrich angewendet wird (vgl. Kehrein Nr. 733).

XIX. De s. Vito.

I.

Sancti martyris
Uiti dies celebris.

II.

a. Illuxit exoptata
deuotione maxima,
b. Glorificanda nobis
canticis spiritalibus.

III.

a. Iste est Uitus puer ille inclitus
b. Stemmate claro ortus, sed incredulo.

IV.

a. Qui puer adhuc tener cunctis
mundi lenociniis
b. Pro Christo abrenuntiauit
seque illi obtulit.

V.

a. Hic septem annorum cum esset,
Christum constanti pectore
b. Fatetur pro mundi totius
redemptione positum.

VI.

a. Quibus pater auditis ingemit
atque dissuadet;
b. Quod cum uerbis non posset, conatur
hoc uerberibus.

VII.

a. Adductus Ualeriano nequit penitus
sancto mutari a proposito.

b. Jubetur caedi flagellis sed caedentium
protinus arefiunt bracchia.

VIII.

a. Praeses etiam languente manu
orat opem, quam mox confert omnibus.

b. Patris oculos angelis uisis
excaecatos natus sanctus reddidit.

IX.

a. Angelo duce Christo iubente
it Trinariam

b. Hinc reuocatus daemonem regis
fugat filio.

X.

a. In carceris positum claustris uisitat
Christus ipse puerum

b. Angelicus pariter chorus concinit:
benedictus dominus!

XI.

a. Leo ad deuorandum missus
corruit supplex ante pedes martyris.

b. Intactus de camino exit,
resina quod feruebat, pice, oleo.

XII.

a. Hinc cum Modestio atque Crescentia

XIII.

a. Christo spiritum, tensus ferrea
in catasta, beatum reddidit.

XII.

b. Ipsum precibus exoremus sedulis

XIII.

b. Ut nos domino cum sociis
commendet et perennis gloriae

XIV.

Requirat nobis palmam et uitam.

Missale aus Rheinau in Zürich (Nr. XXIV, saec. XV.) fol. 142v. Kehrein Nr. 741 schöpfte aus Morel Nr. 564, der die Sequenz mit Noten in der St. Gallerhandschrift 546 fand.

Wie die Einteilung in Versikel zeigt, ist die Sequenz auf die beliebte Weise „*Occidentana*“ gedichtet (Bartsch, p. IV). Innerhalb der einzelnen Versikel ist nach Anleitung der Originalsequenz abgeteilt.

V. 17 haben die Hss. ingemuit.

XX. De s. Anna Sequentia.

I.

a. Summi patris gratia
coaeternum per filium
uitae parens remedia.

b. Incarnari constituit
hunc de intacta
uirgine Maria.

a. Quae cunctorum per prophetarum
repromissa diu praeconia

b. De sanctorum patriarcharum
est exorta genealogia.

III.

a. Nam ipsius incliti genitrix Anna
Jesse stirpis propago regia
iusti uxor Joachim socia.

b. Sanctissimam genuit natam Mariam
Gabrielis per uerba nuntia,
o aeterna salutis gaudia!

IV.

a. Magnae sunt sanctae merita Annae,
Christus de cuius natus est prosapia.

b. Crucis per mortem qui uincens fortem
uitae redemptis reserat atria.

V.

Cui cum patre spirituque sancto
par est et gloria.

Missale Constantiense vom Jahr 1485. Kehrein Nr. 770 giebt nach Morel Nr. 336 die Sequenz verstümmelt aus dem Cod. S. Gall. 546. Sie scheint nicht einer notkerschen Melodie zu folgen.

XXI. Caeciliae uirginis et martyris sequentia.

I.

a. Orga.: Uocem laudis exaltemus
diem festum honoremus
uirginis Caeciliae.

b. Chor.: Sponsum eius non inanum
beatum Ualerianum
laudent Sion filiae.

II.

a. Orga.: Hic est ille singularis,
sol illustrans stellam maris
lucentem in iubilo.

a. Chor.: Cui uirgo desponsatur
et sibi confabulatur
noctis tunc in nubilo.

III.

a. Orga.: Dic, Ualeri! quid audisti
alloquendo sponsam Christi?
Chor.: Hanc audiui sic dicentem:
zelo multo metuentem
habeo archangelum.
b. Orga.: Dic, Ualeri! quid audisti
alloquendo sponsam Christi?
Chor.: Est secretum, quod reuelo
optimi amoris telo:
caste uulnerata sum.

IV.

a. Orga.: Dic, Ualeri! quid audisti
alloquendo sponsam Christi?
Chor.: Si incaste me contingis,
dira poena te constringis
mortis per interitum.
b. Orga.: Dic, Ualeri! quid audisti
alloquendo sponsam Christi?
Chor.: Si te mundas mundo cedens
et in uerum deum credens,
mecum cernes angelum.

V.

a. Orga.: Dic, Ualeri! quid fecisti,
postquam haec intellexisti?
Chor.: Ad Urbanum properaui,
et secretum reuelaui,
et ibi me renouaui
sacri fontis flumine.
b. Orga.: Dic, Ualeri! quid uidisti,
postquam Jesum induisti?
Chor.: Tunc angelicum decorem
uidi, sentiens dulcorem
et rosaticum odorem
fragrantem in lumine.

VI.

a. Orga: Dic, Ualeri, quid sensisti
amplius de sponsa Christi?
Chor.: Fratrem mihi sociauit,
et ad palmam inuitauit,
et utrumque praesentauit
caelesti collegio.
b. Orga.: Dic, Ualeri! quid sensisti
amplius de sponsa Christi?
Chor.: Almachium superauit,
ensis eam iugulauit:
sic amantem reamauit
mortis priuilegio.

VII.

Orga.: O Ualeri! uale care
ac pro nobis deprecare!
Chor.: Et tu mater huius festi
nos amore sponsi uesti!

VIII.

Orga.: Ut in morte bona sorte
det nos uti cum beatis
sertis per te seminatis.

Missale aus Muri in Aarau (K. 5) vom Jahr 1532 mit der Melodie in Noten. Am Rande ist auf die Originalsequenz „Surgit Christus cum trophaeo“ hingewiesen; ebenso stehen die Bezeichnungen „Organum“, „Chorus“ in die Notenlinien eingeschrieben. Das abgekürzte *Dic*, *Ualeri*! habe ich III b., IV a. b., VI b. ergänzt aus dem Vorhergehenden.

XXII. De s. Kunegunde.

I.

Laetare, mater ecclesia,
cum tua sancta filia,
quae clare fert lilia.

II.

a. Castitate rubens
ut solari flos iubare,

b. Bonitate prudens
salutari cum nectare.

III.

a. Dulcis tutela medela
languentis agminis.

b. Nocte diuina regina
florentis germinis.

IV.

a. Immaculata ut maritata
signata et ut uiro uiduata.

b. Sponsus pudicus sanctus Heinricus
tenore secum miro sciuit more.

V.

a. Laus tibi, Kunegundis!
Jesu Christi formula habitu uirginum.

b. Tu sibi factis mundis
seruiuisti sedula lumini luminum.

VI.

a. Prudenter omnia possedisti,
solum felicia dilexisti;
mundana et uana transitoria
mens tua respuit.

b. Ergo cum uomeres transiuisti,
ut rosas tangeres, hos sensisti
iniusta adusta hoc prudentia
fieri potuit.

VII.

a. Qualis potentia, qua contraria
tibi sunt socialia.

b. Ignis caliditas et frigiditas
ut sana sit uirginitas.

VIII.

a. Diuinis signis ut frigus ignis
non urit permanens cum calore,

b. Tua potestas potest quod aestas
non urit solque stat cum splendore.

IX.

a. Per exteras nationes
multum ueneranda cultibus

b. Uociferas optiones
Christo piis manda precibus.

X.

a. Ut tua festiuitas nostra sit sanitas,
corpore et mente te petente
Christi det bonitas.

b. Ob tuam clementiam Christi fac gratiam
nos pie saluare et uocare
ad summam patriam.

XI.

a. Laudetur tuus status
luminis cum matre
summi iubilo inclito.

b. Laus tibi, qui es natus
uirginis cum patre
et cum sancto paraclito.

XII.

Laus tibi trinitas alma,
cum palma sanctitatis
da nobis te cernere gaudere
cum beatis.

Missale Constantiense gedruckt in Basel 1485, die Vorrede ist vom Jahre 1484 datirt. — Kehrein Nr. 832 verkannte die Melodie: die Sequenz geht nach der Weise des „Laus tibi, Christe“ von Godeschalk auf Maria Magdalena. Wie beliebt diese Melodie war, beweist die grosse Zahl von Nachahmungen (10), die bis jetzt bekannt geworden sind; Bartsch p. 106 kennt deren nur drei: Kehrein 352. 358. 422. 455. 508. 600. 659. 755. 832. 838. Die kunstvollen Reime beweisen, dass die einzelnen Versikel im Innern nicht immer und nicht überall gleich abgeteilt worden sind.

XXIII. De s. Verena sequentia.

I.

a. Dies adest reuoluta,
quae praefulget instituta
multiformi gratia.

b. Terge labem plebs polluta!
et resoluas ora muta
in dei praeconia.

II.

a. Paenitentum choro iuncta
trito corde sta compuncta
deo psallens hodie.

b. Pietatis uoto functa,
laudans ora nam sic uncta
fis unguento ueniae.

III.

a. Ecce gaudes, gaudens plaudes
tanti re solemnii.

b. Pelle fraudes, pange laudes
bini uoto studii.

IV.

a. Regi regum uota dato
cordis atque decantato
uocis sono musico.
b. Deum solum adorato,
cuius facta praedicato
sermone rhetorico!

V.

a. Haec est dies insignita,
quam Verena beat ita,
ut aperto aditu
b. Caeli perpes detur uita
his, quis corda sunt munita
pietatis habitu.

VI.

a. Uirgo de haec Thebis uecta,
in Italiam profecta
cum duce Mauritio;
b. Ibi prece iugi lecta
et uigiliis affecta
uacabat ieiunio.

VII.

a. Hinc Solodurum transcendit,
quaeque sursum sunt intendit,
quaesiuit et sapuit.
b. Et lucernam, quam accendit
in candelabro, suspendit
exemploque docuit.

VIII.

a. Sacros quidem gessit mores
fidem plantans ac errores
extirpans gentilium:
b. Sic uirtutum sparsit flores
morbos curans et languores
infirmorum omnium.

IX.

a. Dum pro Christo carceratur
hanc Mauritius solatur
missus caeli culmine.
b. Mox tyrannus conquassatur
febre, de qua liberatur
ipsius iuuamine.

X.

a. Morte tandem imminente
mater dei cum candente
choro iunxit uirginum,
b. Qua cum hymnis applaudente
uisitata sic repente
migrauit ad dominum.

XI.

a. O Uerena! de catena
nos obscoena culpae plena
fac deus eripiat!
b. Ne nos poena sed amoena
agni cena, ubi uena
pacis est, suscipiat.

Missale aus Muri in Aarau (K. 5) vom Jahr 1532 mit der Melodie in Choralnoten.

XXIV. De s. Ursula.

I.

a. Magne deus mirabilis in sanctis tuis,
qui infirma mundi eligis
fortiaque confundis,
b. Tibi soli digna laudum
persoluimus praeconia,

II.

a. Tua uirtute turba uirginea
hoste deuicto fert trophaea.

b. Fouet chorus nunc illas sidereus
premit hunc carcer tartareus.

III.

a. Uictoriae haec sunt primordia
de nuptiis fit regum concordia.

b. Nam Ursula, Britorum filia,
stabiliit sua sic sponsalia.

IV.

a. Ut undena lecta milia
uirginea secum uadant ad caelestia.

b. Casti ludi dum frequentantur
Germaniae portubus classis sacra appellitur.

V.

a. Cisalpina tandem litora Rheni premunt
trieres deserunt.
Romuleam arcem adeunt.

b. Hinc naues Rheni sunt et uia mirabili
te, Christe, praeduce
Coloniam usque redeunt.

VI.

a. Quas obuia Christi neci dat gens barbara

b. Sed uictrices has sponsus euexit ad aethera.

VII.

a. O quam digna palma uirginum,
fructum ferunt nam centesimum,
nouumque canticum
resultant agni post uestigium.

b. O largitor summi praelii,
nostra sola spes solatii!
uirginum gloriae
consortes fieri nos tribue!

VIII.

Facque tua uisione
frui nos sine fine.

Missale aus Rheinau in Zürich (Num. XXIV), saec. XV fol. 160 b. (15 uacent—29 resultent). Schon Morel Nr. 552 hat, geleitet durch den Reim, innerhalb der Versikel abgeteilt. Die Melodie ist unbekannt.

XXV.

I.

a. De profundis ad te clamantium,
pie deus, exaudi gemitum,
nec mensuram obserues criminum,
ut perferri possit iudicium,
pie deus.

b. Jesu bone, conple quod dixeris,
ne sit in te uox cassa nominis:
te praesertim cum ipse dixeris
pro saluandis uenisse miseris,
Jesu bone.

c. Consolator dolentis animae,
ac maestorum uere paraclite,
quod promittis et ex hoc nomine
ne differas complere domine
pie deus.

d. Fletu Petri sua negatio
est deleta tam breui spatio,
et latronis sera confessio
paradisi potita gaudio,
Jesu bone.

II.

a. Sumus quidem peccatores,
sed te tamen non negantes;
peccatores licet sumus,
te confessi semper sumus.

b. Confitentes nomen Christi,
ex quo sumus insigniti;
Christianos ex te quoque
gaudeamus nos fuisse.

c. Non nobis, Christe, non nobis,
sed nomini tuo dabis
gloriam nostri misertus,
a quo nuncupati sumus.

d. Nomen tuum quod unguentum
sonat in nobis effusum;
post infusum plagis nostris
sit fomentum leuitatis.

III.

a. Ad medendum contritis animo
descendisti patris imperio.

b. Poenitentum ecce contritio,
infirmorum es medicatio.

c. Sicut liquet non necessarium
sanis esse dixisti medicum.

d. Ubi maior urget anxietas,
maior inest opis necessitas.

IV.

a. Quod si nos minus respicis,
audi matrem pro filiis;
possint preces ecclesiae,
quod non merentur singulae.

b. Matris attende merita,
patris in te sint uiscera,
sicut ille de prodigo
sermo promittit filio.

c. Ibi fratris susceptio
fratris est indignatio,
hic sunt fratres pro fratribus
in hostiis et precibus.

d. Illa mater, tu pater es,
illa sponsa, tu sponsus es:
huius preces si respuis,
creatos extra spem deseris.

V.

a. Ue Ue nobis miseris,
sero poenitentibus,
et de negligentiis
tarde iam gementibus.

b. Heu heu, domine!
quid creati fuimus,
si sit indulgentiae
clausus nobis aditus.

c. Si nos, pater, abicis,
quis est qui suscipiat?
aut si nos persequeris,
quis est qui subueniat?

d. Miseretur filiis
pater post flagitia,
nemo tibi similis
in misericordia.

VI.

a. Miserere miserere
miserere nostri.

b. Summe pater, summi patris
spiritus et fili.

c. Aduocatus apud patrem
noster assis, Christe.

d. Postulator et pro nobis,
spiritus, assiste.

e. Ad hoc ambo missi mundo
fuistis a patre.

f. Missioni in hoc uestrae
summam nunc inplete.

Chorbuch in Zürich C 63/690 saec. XIII mit Neumen.

C. Reimofficien.

I. De uisitatione s. Mariae.

Ad uesperas super psalmos antiphona.

A. Collaetentur corda fidelium:
uirgo mater concepto filio
scandit montes ut duplex gaudium
geminetur in matrum gremio;
nam dum habet saluator obuium,
uatem implet sancto tripudio,
sic utraque mater, per filium
docta, cantat quod dictat unctio.

Responsorium et Uersus.

R. Uirga Jesse iam floruit
repleta sacro flamine;
sursum ire nos docuit,
dum montium cacumine
transacto domum petiit
Zachariae cum lumine.

V. Sol in sola refulgens domina
prophetarum accendit lumina.

Ad magnificat antiphona.

Magnificat altissimum
uirgo facta miraculo.
aroma suauissimum
gerens in uentris loculo,
dum canticum dulcissimum
pia profert oraculo,
sermonemque gratissimum
fideli praestat populo.

Ad matutinum. Inuitatorium.

Latentem in uirgine
Christum adoremus,
mentisque dulcedine
matri iubilemus.

In primo nocturno antiphonae.

I.

Ex ore infantium
matres illustrantur,
sicque patri omnium
laudes cumulantur.

II.

A. Ponit tabernaculum
dominus in sole,
dum aufert piaculum
uirginis cum prole.

III.

A. Dominus rex gloriae,
dominus uirtutum
uatem facit hodie
uirginis ad nutum.

Responsoria et Uersus.

I.

R. Mundum uocans ad partum uirginis
hora cenae plasmator hominis
uatem mittit de uentre sterilis
similem angelis.

V. Hinc narrat angelus et uirgo credidit
quem mittens dominus prophetam edidit.

II.

R. Datum signum de Cana sterili
tam est gratum Mariae uirgini,
quod ad montes pergit cum humili
gressu et utili.

V. Sic festina sterilem uisitat
uerbo uerbum pandens quod latitat.

III.

R. Uerbum patris postquam concipitur
in Maria prius ostenditur,
praecursori dum uirgo loquitur,
sic caelum panditur.

V. Uentris aluo uerbum absconditum
per os matris mundo fit panditum.

In secundo nocturno antiphonae.

I.

A. In labiis uirginis
gratia diffusa
fit in uentre sterilis
ueritas infusa.

II.

A. Dum impetus flaminis
uirginem sanctificat,
cursu sacri flaminis
prophetam laetificat.

III.

A. Gloriosa dicimus
de te porta caeli,
teque benedicimus
cum mente fideli.

Responsoria et uersus.

I.

R. Paupertatis humanae pallio
decoratum dominum gloriae
recognoscit dictante filio
ueterana sterilis hodie.

V. Unde mihi quod ad me ueniat
dei mater ut mihi seruiat.

II.

R. Fulget sponsus ecclesiae
in thalamo uirgineo
cantat canticum laetitiae
de tanto consanguineo
Elisabeth cum hodie
se iungit caeli cuneo.

V. Benedicit cum angelis
fructum et uitem pariter
quibus fit nobis miseris
solamen integraliter.

III.

R. Granum, quod uitae moriens
fructum afferre uenerat
in aluo matris oriens
antiquam stupefecerat;
hinc clamitat exiliens
beatum, quae crediderat.

V. Plena, inquit, deo et homine
cuncta cernens in plenitudine.

In tertio nocturno antiphonae.

I.

A. Canticum nouum domino
decantat plena gratia,
dum data legi termino
noua prodit mysteria.

II.

A. Gaudet mons Sion hodie
in quo deus ostenditur,
exultent Judae filiae,
dum uirgo magna loquitur.

III.

A. Qui fecit mirabilia,
nouum dictauit canticum,
quod uirgo laudabilia
per uerbum facit panditum.

Responsoria et uersus.

I.

R. Felix uirgo, cuius oraculo
magna dona panduntur saeculo,
dei plena magno miraculo
clauso piaculo.

V. Ex ubertate dogmatum
fontes signat charismatum.

II.

R. Ascendenti ad montem uirgini
et cantanti canticum domini
uates plaudunt, quod Christi nomini
datum honorem et summo culmini.
V. Per hanc cernunt luctum praeteritum,
commutatum in cantum inclitum.

III.

R. O spem miram, quam dedisti
decantando humilibus,
dum ancillam te dixisti
et beatam prae omnibus,
praesta, mater! ut nos Christi
perfruamur aspectibus.
V. Quae tam magna cecinisti
tibi collata largiter
nos a morte saluans tristi
Christo iunge feliciter.

Ad laudes antiphonae.

I.

A. Dum deus ex uirgine
induit decorem
sanctae fetus feminae
suscipit ualorem.

II.

A. In conspectu domini
puer exultabat,
ex quo mater uirgini
cantans prophetabat.

III.

A. Fructum uitae protulit
terra uirginalis
populique attulit
laudes generalis.

IV.

A. Benedicens benedicta
benedic benedicentes,
nobis cantum cantrix dicta
et fac tecum concinentes.

V.

A. Omnis spiritus auscultet
decantantem uirginem,
secum plaudat et exultet
laudans deumhominem.

Ad Benedictus antiphona.

A. Benedictus sit Emmanuel
qui uisitauit hominem,
et redemptionem Israel
per uisitantem uirginem,
intimauit praecursori
cum salute humili,
unde laudes saluatori
clamantur a sterili.

Ad Magnificat antiphona.

A. O uirago perinclita!
de qua uir summus sumitur;
humilitate praedita
dum deus in te clauditur:
montana uelut subdita
petis et lumen oritur,
hinc cana pandit abdita
et infans clausus loquitur;
secreta caeli condita
uerusque sol detegitur.

Per octauam Inuitatorium.

Ascendentem dominam
mente sociemus,
et latentem dominum
Christum adoremus!

Per octauam antiphona ad Benedictus.

A. Uisitauit dominus plebem Israelis,
dum per matrem uirginem grauidam
de caelis
genitricem uisitat prophetae fidelis.

Ad Magnificat antiphona per octauam.

A. Exultauit spiritus
sterilis et nati,
dum uerbi diuinitus
Mariae donati

lux intrat radicitus
cor sanctificati
prophetae, qui primitus
laudes incarnati
depromit et caelitus
praeco fit laudati.

Mone Nr. 426. — Morel Nr. 143 — Dreves, Analecta hymn. V. p. 8 — Aus einem Dominikanerbrevier in Aarau: Mscr. Murens. 5 q. saec. XV fol. 496 sq. Die früheren Blätter stammen aus dem XIII Jahrh. und tragen die Aufschrift: Gotzhuß Wurmſpach. (D). — Ebenso findet sich dieses Officium in einem Benediktinerbrevier in Aarau: Mscr. Murens. 1. q. saec. XIII—XIV. von einer Hand des XIV. Jahrhunders auf den letzten Blättern (B). Die nichtmonastische Form, in der das Dominikanerbrevier das Officium bietet, ist augenscheinlich die ursprüngliche, die im Benediktinerbrevier erweitert wurde.

B hat als antiphona II—IV ad uesperas super psalmos:

II.

A. In conspectu domini (133—136) vgl. Mone. v. 29 sq.

III.

A. Tunc exultauit animus,
cum ipsius sit filius
angelo nuntiante.
ancilla dei credidit
confestim uerbum genuit
Maria supplicante. (Morel 143, 162—167.)

IV.

A. Magna perfecit dominus
in Mariae uisceribus;
deum concipiendo
fit mater plena gratiae
et impetratrix ueniae
omnibus miserando.
(Morel 143, 174—179.)

10 repleto sacre B. — 18 uirgo sancto B. — 19 ar. suau. fehlt D. — 26 dum cantum B. — 22 pro profert B. — 24 prestans B. — 28 nostri D.

B hat in der ersten Nokturn als antiphonae IV—VI.

IV.

A. In labiis uirginis gratia diffusa
fit in uentre sterilis ueritas infusa.

V.

A. Dum impetus flaminis uirginem sanctificat,
cursu sacri fluminis prophetam laetificat.

VI.

A. Magnus noster dominus magnam magnificauit,
et coram cunctis regibus eam mirificauit.

45 Hec D. — 49 cum fehlt D. — 52 uerbo fehlt D. —

Sonderbarer Weise fehlen in B zur vierten Lektion das Resp. und Vers. — In der zweiten Nokturn hat B folgende Antiphonen:

I.

A. Benedixisti domine terram hanc benedictam
quam de legis opprobrio eximis maledictam.

II.

A. Gloriosa dicimus . . . . vgl. v. 67—70.

III.

A. Canticum nouum domino decantat plena iam gratia,
dum dato legi termino noua prodit mysteria. (Vgl. 95—98.)

IV.

A. Gaudet mons Sion hodie, vgl. 99—102.

V.

A. Qui fecit mirabilia nouum dictauit canticum,
quod uirgo laudabilia per uerba facit panditum. (Vgl. 103—106.)

VI.

A. Deus in se mirabilis magnus et ineffabilis
in Abrahae hac filia perfecit mirabilia.

81 Elyzabeth D. — 83 Benedic B. — 85 qui bis B. — 89 corruens D. — 91 Hin D. — Zur achten Lektion bietet B als R. u. V.

IV.

R. Rosa de spinis prodiit
uirga Jesse floruit
Maria uisitauit
uis diffunditur
tota domus perficitur,
gratia cum intrauit.

V. Miranda salutatio
fit plebi gratulatio,
quae fructum expectauit.

Statt der Antiphonen zur Nokturn hat B eine antiphona ad cantica:

A. Hic naturae propinquius,
quod sterili sit filius
quam uirgo fiat praegnans,
sed nihil impossibile
deo nec infactibile
per uerbum suum dictans.

108 seculo fehlt B. — Als zweites R. und V. zur dritten Nocturn bietet B folgende Zeilen:

R. Dixit uerba prophetica
Elisabeth caelicola
de uirgine Maria:
beata est, quae credidit
in hac fiant, quae didicit
a domino mente pia.

V. Uenit ex te sanctissimus
uocatus dei filius,
sicut praedixit angelus
suae matri in uia.

Dann folgen 113—128 als R. und V. III. und IV. — 113 Ascenditi B. — 127 xp̄i B. —

Zu den laudes bieten B und D fünf Antiphonen: statt der zweiten (133—136) hat B:

Sacra dedit eloquia
Maria, responsoria
Elisabeth laudanti;
clamauit deo canticum
magnificando dominum
de sursum bona danti.
(Vgl. Morel Nr. 143, 156 sq.)

155 unde fehlt D. — Zu den Horae führt B die Anfänge der Antiphonen an: I. Sacra dedit eloquia; III. Fructum uitae; VI. Benedicens; IX. Omnis spiritus.

157 sqq. fehlen B; dagegen hat B: In secundis uesperis super psalmos antiphonae. (Morel N. 143, 48—65, in primo nocturno.)

I.

A. De caelo uelut radius
descendens sacer spiritus
Elisabeth intrauit;
mox benedictam uirginem
sanctitatis propaginem
prophetice clamauit.

II.

A. Inter turmas femineas
et sanctarum excubias
Maria collaudatur
propter fructum, qui quaeritur,
quo iure mundus emitur
et plene uisitatur.

III.

A. Uocat hanc matrem nomine
domini primo famine
Elisabeth superna,
quod fiunt clausum aliis
in uelatis mysteriis
notitia materna.

IV.

A. Non fuit Christus oneri
nec grauis moles pueri
uisceribus matris digne,
sed ignata (?) de pondere
cum corporali robore
transiliit benigne.
(Morel 143, 84—89.)

Ad Magnificat antiphona.

A. Jesu redemptor optime
ad Mariam nos imprime
ut mundi aduocatam
pari forma nos uisitet
sicut fecit Elisabeth
per summam pietatem
mores et actus dirigat
et ad caelos alliciat
per gratiam collatam.
(Morel 143, 207—215.)

R.: Uisitatio tua.

V.: Gaudium annuntiauit.

Priuatis diebus ad Nocturnum.

I.

A. Monstrans culmen dulcedinis
Maria sui sanguinis
Elisabeth salutat,
stantem in domo proximi
propinqua templo domini
deuote subministrat.

II.

A. Charisma sancti spiritus
diffudit se diuinitus
in puerum, cum sensit
conceptum salutiferum
Mariae sibi obuium
Elisabeth consensit.
(Morel 143, 19—30.)

III.

A. Ex quo facta est uox salutationis tuae in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo.

Hymnen: ad uesperas: Magnae dies laetitiae (Mone 404) BD. — ad matutinum: Lingua pangat (Mone 411) BD. — ad laudes: Hymnum festiuae gloriae (Mone 408) BD. — In secundis uesperis: O Christi mater caelica (Mone 409) B.

II. In solemnitate s. Edmundi.

Ad uesperas antiphonae.

I.

A. Gaude Sion, ornata tympano,
decor tuus coniunctus Galbano
laudet illum cordis et organo,
cuius sponsa uenit a Libano.

II.

A. Christi iugum Edmundus teneris
adolescens portauit humeris,
uirtutibus se iungens superis
minorat se tamen prae ceteris,

III.

A. A conualle lacrimarum
ad caeli fastigium
ponit gradus, gratiarum
implorans auxilium,
huius uitae ne uiarum
declinet in inuium.

IV.

A. Iste pastor, dignus memoria,
uirga cuius fugatur bestia,
uita cuius occidit uitia,
finis cuius fuit in gloria.

Responsorium et uersus.

R.: Uallem mundi tam profundi
munda transit orbita
pes Edmundi; ne confundi
possit uirtus inclita,
nil immundi cordis mundi
reperitur semita.

V.: Cum oliuae ramo redit
ad archam in uespere,
non inuenit, unde uenit,
quo possit quiescere.

Ad magnificat antiphona.

A. Magnificet anima dominum,
quam sigillo signauit luminum,
quam propriam cruore proprio
sibi fecit crucis ludibrio,
quam umentem ornauit gratia,
quae post mortem uiuit in patria.

Ad matutinum. Inuitatorium.

Adoremus regem regum
implorantes gratiam,
qui transuexit supra mundum
Edmundum in gloriam.

In primo Nocturno antiphonae.

I.

A. Beatus uir impiis se non sociauit,
quemque cum stantibus stare recusauit,
pestis pestilentiae non incathedrauit.

II.

A. Quare fremuerunt hostes in ostium,
a quo pendent tot arma fortium,
quod non timet impulsus hostium.

III.

A. Cum inuocat, exauditur Edmundus a domino:
eius uoces exaudire non differt in crastino,
qui fideli deo fidem seruat sine termino.

IV.

A. Uerba supplicantium
auribus percipias!
qui linguas infantium
ad laudandum expias,
ora te laudantium
ad laudes aperias!

V.

A. Domine rex! quam admirabilis
cuncta mouens manes immobilis,
in nos labens in te non labilis.

VI.

A. In domino dominorum
confisus est, non honorum
Edmundus in onere;
nam honores, hostes morum,
sine mora Sichomorum
succidunt in uespere.

Responsoria et uersus.

I.

R. Primus iaspis lapidum in Edmundi fabrica
fabricae supponitur, ut fides catholica
per augmentum operis regna tangat caelica.
V. Designatur fides in iaspide,
prior omni ponendus lapide.

II.

R. Secundus in fabrica saphirus erigitur
coloris aerii, per quem spes innuitur,
per quam a terrigenis caelum adipiscitur.
V. Edmundi spes eleuatur,
ad habendum quod speratur.

III.

R. Opus sancti fabricatum consummat carbunculus,
qui est uirtus caritatis, qua sic Christi famulus
ardens lucet, quod ad lucem omnis stupet oculus.
V. In ardore caritatis,
ut iubar aethereum,
pluit uerbum ueritatis
populo uas aureum.

IV.

R. In tribus catholicis uirtus circulatur,
quatuor pollicitis circulus quadratur,
ut a septenario numquam moueatur.
V. Sic septem uirtutibus
Edmundus ornatur,
sic ornatu spiritus
septeno firmatur.

In secundo nocturno antiphonae.

I.

A. Domine! qui in tuo uiuunt tabernaculo,
eis es in requie, eis in umbraculo,
tu eos inebrias uoluptatis poculo.

II.

A. Domine! in uirtute tua uir laetatur,
qui dum adhuc uiueret, in te laetabatur,
cui mundi laetitia nihil uidebatur.

III.

A. Domini sunt omnia, caelum, terra, mare,
qui cuncta de nihilo potuit creare,
qui dissona consonis uoluit ligare.

IV.

A. Exaudi nos, domine! protector eorum,
qui te colunt, praedicant, cor et corpus quorum
confitentur opere te deum deorum.

V.

A. Te decet laus honor et gloria,
cui iure debentur omnia,
cuius nutu uiuunt mortalia.

VI.

A. Bonum est fideliter tibi confiteri,
cui lex est parcere, ius est misereri,
nescis malum hodie, quod factum est heri.

In secundo nocturno responsoria.

I.

R. Latere non poterat
uirtutum lucerna,
quae succensa fuerat
a luce superna;
clamant gestus hominis,
quod sub ala numinis
lateant interna.
V. Ne cum Dyna corrumpantur
Sichomorum macula,

census omnes castigantur
disciplinae ferula.

II.

R. Sub nodis cilicii
corpus expers uitii
damnat uir beatus;
uiget in uigiliis,
pinguescit ieiuniis
iugis cruciatus.

V. Se sui carnificem
ante summum iudicem
offert maceratus.

III.

R. Sublimatus in pastorem
urbis Cantuariae
onus gerit, non honorem,
ut cherubin gloriae
plus ignescit saporem
gustus sapientiae.

V. Maior factus de minori
minor manet in maiori.

IV.

R. Cor Edmundi purpuratur,
dum cruoris memoratur
Christi morientis.
Candet byssus castitatis,
rubet coccus caritatis
Aaron uestimentis.

V. Hyacinthus intexitur tamquam uerus testis,
quod Edmundus ciuis sit patriae caelestis.

Ad cantica antiphona.

Canticum laetitiae
caeli cum principibus
sic psallamus hodie
coniuncti psallentibus,
ut uoces concordiae
concordent caelestibus.

In tertio nocturno. Responsoria et uersus.

I.

R. Plebis pondus sustinet super humerali,
iuste iudex iudicat in rationali,
talum tangit poderis opere finali.

V. Ornat frontem lamina,
signum puritatis;
sonant tintinnabula
uerbum ueritatis.

II.

R. Exulat ab Anglia
praesul pro iustitia,
regnum intrat Galliae,
ubi, plenus gratiae,
mortis soluit debitum,
commendatum spiritum
reddit regi gloriae.

V. Reportatur domino
cum lucro talentum,
talento pro quolibet
reportantur centum.

III.

R. Nouem nostrae paupertatis
nec humanae facultatis
referre miracula,
quibus uirtus deitatis
testis sancti sanctitatis
illustrauit saecula.

V. Mors et morbus admirantur,
quod sic signa dominantur.

IV.

R. Ad te, locum gratiarum
gratae mentis non ignarum,
Jesu bone! lacrimarum
reuertuntur flumina,
quibus tibi supplicamus,
ut uiuentes sic uiuamus,
quod post uitam teneamus
tecum caeli culmina.

V. Tu Edmundi precibus
a tuorum mentibus
sua tergas crimina.

Ad laudes antiphona.

Ad laudandum caeli regem
cohortemur nostrum gregem,
clament cordis gemitus

te bonorum creatorem,
te donorum largitorem
laudet omnis spiritus.

Ad benedictus antiphona.

Benedictus oriens
dator uerae lucis,
qui pro nobis moriens
cruciatu crucis
caecis lumen attulit
baculum caducis.
O rex regni gloriae,
qui Edmundum hodie
ad regnum reducis,
fac nos eius precibus
tam uoti quam uocibus
sic tibi placere,
ut datum pauperibus
regnum in caelestibus
possimus habere.

Ad primam antiphona.

Primae lucis orto iam sideri
supplicemus affectu celeri,
ut sic uelit nos die conteri,
ne conterant nos umbrae uesperi.

Ad tertiam antiphona.

Tertia nos repleat spiritus in hora,
quo Edmundi claruit aetatis aurora,
qui loqui discipulos in uoce sonora
linguis nouis docuit breui motus hora.

Ad sextam antiphona.

Sexto nouus Abraham diei feruore
diuino diuinitus succensus amore.
tres uiros detriplicat uno sub honore,
honorem credentium purgat ab error.

Ad nonam antiphona.

Nonae sanctus memor horae,
qua Messias moritur,
intrans missam suo more
Messiae commoritur;
sacro sacra sumens ore
sic sumit et sumitur,
quod amborum in amore
cor unum efficitur.

Ad uesperas antiphonae.

I.

A. Quanti sanctus sit nominis
mortui testantur,
qui utriusque hominis
morte tenebantur:
nam Edmundi meritis
multi suscitantur.

II.

A. Dum leprosa delepratur
sub Edmundi pallio,
audit surdus, mutus fatur
praesulis praesidio,
Christi fides dilatatur,
laetatur religio.

III.

A. Caeci uident, currunt claudi, ualent paralytici,
daemon cedit, salus redit, surgunt epileptici,
saluat sanos, aegros sanat summi manus medici.

IV.

A. Qui prece, qui merito
tot auxiliaris,
caritatis debito
nobis tuearis,
ut nos more solito
tuos tuearis.

Ad magnificat.

Suum suscepit puerum
memor misericordiae,
pater post uerba uerberum,
sicut ad patres patriae
praedixerat, sic hodie
transfert ad thronum gloriae
suorum patrem pauperum
quem sicut uenam ueniae
rogamus, ut in posterum
simus ei memoriae.

Aus einem Cisterciensерbrevier in Aarau: Mscr. Wettingen, Nr. 7, saec. XV. (W). — Mone Nr. 908 sq. Dreves, Analecta h. V. p. 8.

Hymnen: Ad uesperas: Jam Christus dator munerum (Dreves, Anal. h. IV. p. 127 Nr. 230). — Ad complet.: Christe qui lux es mentium (Dreves, Anal. hymn. IV. p. 128 Nr. 232). — *Ad tertiam: Aeterne rex regnantium (Dreves, Anal. h. IV. p. 128 Nr. 231).

III. In solemnitate s. Guillermi.

Ad uesperas antiphonae.

I.

A. Gaude mater fecunda liberis,
quae, serpentis dum caput conteris,
tuis caelos alumnis aperis,
quos uictores coniungis superis.

II.

A. Grates deo reddamus seduli,
qui, sublatis aerumnis saeculi,
quod non nouit cor, auris, oculi
nostro gratis concessit praesuli.

III.

A. Sub aetate Guillermus tenera
blandis parcens elegit aspera;
dum uirtuti sic datur opera
legem carnis lex domat altera.

IV.

A. Jam gaudere uolens ad modicum
adolescens elongat publicum,
mundum sibi cognoscens uitricum
pompam fugit, euadit lubricum.

Responsorium et uersus.

R. In agendis, loco ducis
instans preci, uerae lucis
implorabat radios;
crebro legit in scripturis,
quibus doctus de futuris
casus cauet noxios:
sic praeuentus de supernis
his scrutatur in lucernis
motus mentis proprios.

V. Ut uirtutum in affectu
fetus gestet uarios,
uirgas habet in aspectu
gestus patrum praeuios.

Ad magnificat antiphona.

A. Magnifice diuinis laudibus
uota reddat exultans anima,
a quo sumpsit esse cum uiribus
reparari cum drachma decima;
quia sponsauit ornans monilibus
et a paucis uexit ad plurima,
cum hanc iunxit supernis ciuibus
ueritatis iam cibans azyma.

Ad matutinum. Inuitatorium.

Exurgamus mente iam sobria
nos populus et oues domini,
pro collata Guillermo gloria
laudes eius reddamus nomini.

In primo nocturno antiphonae.

I.

A. Christi paret Guillermus legibus
actu foris intus memoria,
legem uitae tenet in moribus,
et in lingua lex est clementia.

II.

A. Helisaei tenens consortium
iugum spernit ferre cum impiis,
ne cum illo portet repudium
qui pro iugis se priuat nuptiis.

III.

A. Cor dilatat diffusa caritas,
quo plus iustum artat afflictio,
sic Hebraeis surgit fecunditas
quanto maior urget oppressio.

IV.

A. In conspectu diuino dirigit
gressus mundam percurrens orbitam,

uiam rectam consultus eligit
se per artam restringens semitam.

V.

A. Eleuatur ad nutum gratiae
nostra spirans ad austrum aquila,
escam mentis contemplans acie
in superna uitali simila.

VI.

A. Ut quiete cum sponso dormiat,
nidum sibi ponit in arduo,
montem petit ut turbam fugiat
Christo iunctus amplexu mutuo.

Responsoria et uersus.

I.

R. Primum sonet in laude praesulis
conditoris honor et gloria,
qui diffusis donorum riuulis
patrem nobis dedit in patria,
cuius uita quam digna titulis
certa praebent indicia.

V. Signis fulget fide plenus
clarum gerens ortum, genus
ex illustri Gallia.

II.

R. Flos erumpens in nouella
planta puri corporis,
ne laedatur a procella
circumuenti pectoris,
munda transit carnis cella
scirpi clausus in ficella
foedi fluxus aequoris.

V. Non irrumpit cordis templum,
quod fit casus in exemplum
sub elapsu temporis.

III.

R. Ne seducant mundi uana
cor illustris pueri,
sensus regit aetas cana,
fiunt opes oneri,
iam concepta mente sana
mox exurgens in montana
subit raptu celeri.

V. Christum sequens pacis uia
nudus fugit cum Helia
sub umbra iuniperi.

IV.

R. Igitur cum ambitu
spreta mundi cura
ductus est a spiritu
sub claustri censura,
commutans cum habitu
pro summis casura,
per quod in introitu
non formidat dura.

V. Spe suspenso muneris
releuatur oneris
amore pressura.

In secundo nocturno antiphonae.

I.

A. Ingressurus praesul oraculum
mentis uoltum lauat a maculis,
fons emanat iugis per oculum,
labrum supplet factum de speculis.

II.

A. Uitam petit, quam dat dilectio
fides et spes his pro uirtutibus,
quaerit pulsans sub hoc triuario,
tribus gaudet amici panibus.

III.

Super aquas cum Noe fabricat
archam cordis complens in cubitum,
cum Edmundi contemptum applicat
actionis finalem exitum.

IV.

Recte laudes attollunt strenuum,
quem non flectunt a recto prospera;
iuste gaudet de fructu manuum,
quem commendant in portis prospera.

V.

A. Hymnum dicat praesens collegium,
Christum decent ipsum praeconia,
qui assumpsit ad regni solium
patrem replens bonis in gloria.

VI.

A. Huius odor ut cedrus Libani
uitae bonis mortis ad exteros,
qui nunc gaudent ad sonum organi
sed in puncto ruunt ad inferos.

Responsoria et uersus.

I.

R. Summo tendens in amore
per uoti expendium,
gradus cepit a timore
sic per septenarium;
scandens gustus in sapore
firmat aedificium.

V. Factus summi nutu regis
dux Karoliloci gregis
pastor et praesidium.

II.

R. Pater sanctus dum consultum
teneret solitudinis,
pascens sibi consepultum
summi gregem numinis,
ut det palmes fructum multum,
purgat mentem corpus cultum,
iugo reddit ordinis.

V. Ne clamoris det tumultum
terra defiens hominis.

III.

R. Seruit Jacob pro Rachele
per uitae septennium,
urit aestus, sed querelae
sopit amor taedium;
ad amplexus traxit Lyae,
gemens cedit fraudi piae
morem uidens patrium.

V. Delicati somnum thori
turbat lippa cum labori,
sanctum datur otium.

IV.

R. Adhuc latens in deserto
lucerna sub modio,
dare lucem in aperto
procedit in medio,
minat oues gressu certo,
uagam ponit in lacerto
reportans ab inuio.

V. Clamat uigil oculus,
quod sit praesul sedulus
in ouili proprio.

In tertio nocturno. Ad cantica antiphona.

A. In canticis labiorum
laudis sibi laxet lorum
uox una laetantium;
Rachel plorans consolatur,
uox in Rama iam mutatur
maeroris in gaudium.

Responsoria et uersus.

I.

R. Hic primatu fungitur
in sede Biturica,
nec uirtutum fabrica
flatu laudis quatitur;
supra petram figitur
in uirtute modica.

V. Frustra rete iacitur,
dum pennatis tenditur
in aspectu pedica.

II.

R. Forma gregis populo
gestis monstrat oculo
leges aequitatis,
mel perfectis pabulo
lac ad potum paruulo
sub lingua primatis;
Uerbum non adulterat,
dum dictis aequiperat
facta probitatis.

V. Jugum tollit humeris,
quod imponit ceteris
doctor ueritatis.

III.

R. Sub undenae pondus horae
sudans ab infantia
sero facto de labore
uocatur ad praemia;
Denario gaudet pari
stella fulgens singulari
sumpturus duplicia.

V. Noua iusto lux est orta
transit luctus, cum absorpta
mors est in uictoria.

IV.

R. Pater precum in hac hora
sub noctis silentio
nostra tibi sit decora
laus, placens deuotio.
Sic concordent mens et ora,
quod post mortem sine mora
tu sis nostra portio.

V. Pater sancte! gregem fulci
ducis prece, tuo dulci
nos fouens in gremio.

Ad laudes antiphona.

A. Uocem laudis affectus iubilo
deo soluens te grex exhilara,
melos cordis cum uocis sibilo
dat iocundi psalmum cum cithara.

Ad benedictus antiphona.

A. Benedictus rex inuictus,
dux patris ad brauium,
qui conflictus uicit, ictus
graues ferens hostium,
ut ui mortis arma fortis
frangens uires sontium,
nos in portis ditet sortis
dans supernae gaudium.

Ad horas antiphonae. Ad primam antiphona.

A. Primo mane iunctus agricolis
exit uitis patris ad opera,
nil commune gerens cum subdolis
diem portat et aestus pondera.

Ad tertiam antiphonae.

A. Ter exponit uerberi
reducens itineri
cum mago iumentum,
fami, flagris operi
carnis quaerens conteri
lasciue feruientum.

Ad sextam antiphona.

A. Sexta fiunt tenebrae,
dum cor inflammatur,
in qua sancto celebre
nomen occultatur,
ne quid cernant palpebrae,
quo mens extollatur.

Ad nonam antiphona.

A. Nouem regis cubitorum
lectulus extenditur;
cum coetibus angelorum
nouem praesul iungitur,
quo quiete post laborum
aestus deo fruitur.

Ad uesperas antiphonae.

I.

A. Mane nobiscum uespere,
ne nos surrepat scelerum,
dans precum patris munere
rectos progressus operum.

II.

A. Agat cor uigil spiritu,
uices dum pausant corpora;
litis sopito strepitu
pacis succedant tempora.

III.

A. Nullo iam fine clauditur
uiuens iusti memoria,
cuius ubique spargitur
lucens signorum gloria.

IV.

A. Mors in piscina corruit
languens sub eius precibus,
opem, qua cunctis affluit,
pastor non neget ouibus.

trinitatis splendet imagine,
trinae dotis iam fulgens gloria,
pio cuius sponsus precamine
nos ascribat ad uitae praemia.

Ad magnificat antiphona.

A. Magnificat sponsum in numine
sponsa, cuius trina potentia

Aus einem Cistercienserbrevier in Aarau: Mscr. Wettingen Nr. 7 s. XV.

Ein anderer Schreiber fügte am Schluss dieses Officium's einen Namen bei: Frere nicolas liger religieux de barbenn.

Hymnen: Ad uesperas: Jesu corona celsior cultum (Dreves Anal. IV Nr. 493). — Ad complet.: Enixa est puerpera supernum. — Ad tertiam: A solis ordus cardine caelestis.